

Bibliothèque numérique

medic@

**Pathiot, Louis - candidat / Macquer,
Pierre-Joseph - président. - An Chylus
& succus nutritius, simili perficiantur
mechanismo ?**

1743.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2329 n°137***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0137](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax08x0137)

127.
DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ;
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimo-quinto
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. XLIII.*

M. PETRO-JOSEPHO MACQUER,
Doctore Medico, Præside.

An Chylus & succus nutritius, simili perficiantur mechanismo?

I



ARTES omnes corporis humani quassatæ motu perpetuo teruntur, avolant. Hanc perennem jacturam reparatione quotidianâ refarciri necessum est. Indè sitis, fames, voluptas gulæ, externosque succos quæritandi nobis lex imposita. Eos ut ad veram liquorum nostrorum indolem natura perducatur, mirum est quantum laboret. Ex infinitis quibus machina nostra conflatur partibus, nulla ferè est quæ huic operi non conspiret. Hic est officina, in quâ prima succi nutritii rudimenta incohantur; illuc circumstant multigena organa, quæ calore motuque suam conferunt symbolum. Undique confluunt indolis variæ liquores, quibus humoris novi partes solvuntur, miscentur, mutantur mirificè. Ubique cribra, glandulæ, receptacula, incredibilisque est vasorum cujuslibet generis numerus. Horum vehere, transcolare, elaborare, purgare, perficere officium est. Hinc operosiores nullam functionem eâ conversione alieni succi in naturam fluidi nostri vitalis rectè concluditur. Ipsi, quandiu remanet in corpore, mille sunt circulationes subeundæ; nec mora, nec requies datur ulla, mille sunt varii gradus accipiendi. Tres tamen insignes præcipuè status affectat, qui spectari merentur maxime. Ordine enim Chylus est, sanguis, & succus verè nutriens. Triplici functione propriâ, Chylosi, Hæmatosi, & ultimâ elaboratione opus hoc molitur natura. An quo mechanismo incipit, eodem illud perficit? Ea res certè patefcet, si Chylum proximamque nutritionis materiam in organis fabricari constiterit, quorum idem est agendi modus, eademque fabrica.

II.

ANIMANTIUM vegetantiumque partes succulentæ, conditæ, dentibus tritæ, potu salivæque mixtæ, ventriculo statim recipiuntur: ibi alterum instituentium elaborationis genus incohanda Chylosis. Calore, motu, liquoribus dissolventibus præcipuè hoc in opere utitur natura. His igitur instrumentis diversimodè applicatis & simul agentibus tribuendæ quæcumque sunt mutationes. Alimenta clauso

calidoque stomacho per quinque vel sex horas sequentia ferè patiuntur. Particulæ principiorum quibus constant, aëreæ imprimis, elasticæ, expansibiles calor loci sensim dilatantur, rarefiunt, eodem jam non continentur spatio, explicantur. Erumpendo vicinas premunt, pellunt, pulsant. Indè motus intestinus partium insensibilium, variæ collisiones, divisiones intimæ, olei, salium, terræ etiam cohæsiō minor. A motu intereā non minora Chylosis accipit auxilia. Quin, vicinæ partes opportunè admodum hâc in re famulantur. Contractis per vices Diaphragmate musculisque abdominalibus, hinc & indè alternatim agitur ventriculus, sursum modò propulsus, mox repellitur deorsum, perpetuus quasi lusus, indefinensque jactatio est. Arteriæ etiam plurimæ, capaces, fortiter pulsantes minoribus, sed crebrioribus eidem operi conferunt ictibus. Ipse demum ventriculus contenta parietibus membranaceis, elasticis, musculosis, motu peristaltico actis, amplectitur, cogit, urget, subigit. Ex his omnibus alimentorum trituratione exquisita; eorum partes aliæ in alias continuò ruere, frictione reciproca mutuoque officio abrasæ, divisæ, fractæ, mirificè attenuari; fluidæ, pingues, oleosæ, mucilaginosæ, unà cum aqueis subtilioribus per interstitiola solidarum protrusæ, easdem quaquâ versus penetrando, allidi, exprimi, simul misceri intimius. Hoc frictu, motuque multiplicato, calor major adhuc atque efficacior; separantur magis ac magis principia, explicatus rarefit aër, tumet ventriculus, omnia augentur jam dicta. Quænam tunc deglutitorum organorum, trachearum, vasculorum, fibrillarum conditio? Hæc omnia necessum est frangi, dirumpi, misceri communi sorte, ordinatus quasi tumultus est, utilisque confusio. Addit se socium succus ipse gastricus, eodem motu fertur ubique, omnia solvendo & nectendo non parum proficiens. Jam ex tot diversis corporibus fluidi albescentis, accuratè mixti & æqualis, nova nascitur species. Jam referatur Pylorus, patet iter ad intestina: illic alia dispositio, nova Scena peragenda est. Quàm longo ea organa producantur tractu! Quot varios implicant orbes! Quantis circumvolvuntur circuitibus! Undique per membranas longissimi hujus canalis innumera repunt Vascula, quorum ora intrâ ipsius cavum aperiuntur. Infinitis itaque sic pertusa foraminibus intestina, vera sunt cribra eximiusque adest ad secretionem apparatus. Nec frustra, ex massâ crassiori atque inutili separandus est jam confectus liquor. Hæ igitur partes omnes promiscuè ex ventriculo ad intestina transmissæ, accepto prius bilis utriusque succique Pancreatici beneficio, in hâc secundâ officinâ, cum omnia quæ jam in ventriculo, tum ea quæ ad Secretionem pertinent, experiuntur. Iisdem causis ac antea omnimodè versatæ, offeruntur, applicantur ad parietes fistulæ intestinalis, mirabili arte extensos; exprimitur lacteus liquor, undique ipsius scaturiunt rivuli, urgetur, traditur in venulas sibi dicatas, à quibus avidissimè sugitur, hauriturque. Hæc à principio ad finem usque peraguntur, donec reliqua materia ex succa, excrementitia, extra corpus ejiciatur.

III.

MAJORA corporis humani vasa minoribus contextuntur, & hæc vascula canaliculis adhuc exilioribus. Ea divisio eò usque producit, ut ultima eorum ramenta omni humano visui lateant. In his omnibus, etiam si alia ab aliis sobolescant, non tamen Homogeneus idemque permeat liquor. Quippe vasorum diameter quâ proportionem dividuntur decrescit. Hinc sanguini liberè priores ramulos pervadenti cum ad canalicula moleculis suis minora devenit negatur aditus. Ipsorum oscula præterlabitur in venularum radices sibi patulas ingressurus. suo tamen intereā liquore non defraudantur exquisitissimæ illæ arteriolæ: imò ex ipso sanguine fluidum aliud album, Diaphanum, subtilius, Lymphaticum secernunt combibuntque.

3

Horum Lymphaticorum proles adeò numerosa, ut nulla pars assignari possit in corpore, quæ ex ipsis tota non contexetur. Indè his in ultimis vasculis, & ex eorum Lymphâ fieri nutritionem optimè deducitur. Qui enim sanguis extremos recessus penetrare impotens, ibi reparandi restaurandique provinciam gereret? Quâ arte ipsius moleculæ crassiores abrasæ ex tenuissimâ fibrillâ particula loco valerent substitui? Aliundè rem abundè comprobatur partium quarumlibet aquâ tepidâ ablutarum color, qui Lymphæ nutrientis maternam refert albedinem. Succum hunc in ultimis sanguineis arteriis elaborari evincit imprimis horum organorum mechanismus modusque agendi. Quorum quidem rationem & similitudinem cum iis quæ ad Chylum conferunt, valet ipsa comparatio demonstrare.

I V.

SANGUINIS motus duplex, progressivus nempe & intestinus est. Horum causa & effectus diversissimi. Prior contractionibus cordis productus, omnibus Hydraulicis atque Hydrostaticis legibus obtemperat. Ipsius beneficio tota fertur, agitur, circulat sanguinea moles. Alterius causa calor imprimis, & frictio multiplicata per vasorum parietes, ipsorum denique actio quâ fluidi à circumferentiâ ad centrum particula pelluntur indefinenter. Huic placido, leni, æquabili, diù continuato, omnium debetur humorum mutatio; ab eodem igitur repetenda præcipue succi nutritii fabricatio. Sanguis ad capillaria semel devectus, ita lentè progreditur, ut per aliquod tempus quasi moretur, in iisque veluti inclusus torpescat. Quænam tunc ipsius conditio? Ea certè experiatur oportet, quæ corporibus fermentationi aptis per otium caloremque eveniunt. Indè incipiens motus ille de quo nunc agitur partium insensibilium: hujus ope particula, alterari, sejungi, coadunari, aliam induere formam, in naturam nostræ substantiæ converti queunt. Hæc sunt beneficia caloris, quæ ab ipsâ organorum structurâ & actione non mediocriter juvantur augmenturque. Parietes canaliculorum quibus coercetur sanguis, nervosi, carnei, membranacei sunt; ipsorum igitur ictibus vi tonicâ, musculari, elasticâ illatis perpetuò subjicitur contentus cruor, ex vicinis interea partibus eodem modo pulsantibus, multum quoque exercitatus. Undè ipsius particulas quâquâ versus propelli, unâ concurrere, tumultuosè misceri necessum est. Confligit ruber oleosusque globulus cum ipsâ parte albâ fibrosâ, mutuò franguntur impetu, intimiùs cum ipso communi sero nectuntur. Hæc ubique perpetuòque fiunt: sed quorsum jam exposita iterum enarrare? Quis hoc perspecto mechanismo non planè ac in ipso ventriculo similem fabricam agendique modum fateatur; idem utrobiquè motus, eadem contractio, pressio, triturationis est. Nec desunt quoque organa his in recessibus, quæ intestina, venasque lacteas æmulentur, easdemque vices adimpleant. Quemlibet canaliculum capillarem, sanguineum, ultimum, qui cum arteriis Lymphaticis immediatè jangitur, verum jure & meritò vocaveris intestinulum. In ipso non secus ac in iis quæ Chylum inserviunt, succus ulterius elaboratur atque perficitur, idem in eo ad secretionem confecti liquoris apparatus est. Quænam mechanica venarum lactearum œconomiam sincerius valet imitari, quàm ipsa vasculorum Lymphaticorum dispositio. Horum oscula intra capillares sanguineos ductus hiantia illius, sunt exilitatis, ut liquorem tenuissimum ex globulosâ seu oleosâ & fibrosâ serosâque parte maximè divisâ simulque junctis constantem duntaxat ebibant. Hac arte crassiori rejecto sanguine, rudi Lymphâ, crudoque sero exquisita fit secretio succi ad omnes partes penetrare, ibi solidescere, nutrireque idonei. Deniquè ab ipsâ nutritionis materiâ prius confectâ aut superflua ipsi analogâ fluidum illud dissolvitur, novumque perfectionis accipit gradum. Quin, ex immensâ nervorum quantitate quæ in his

latebris quasi evanescit delitescitque; aliquid spiritus nervosi effluere credibile est; cujus beneficio nova ipsi additur subtilitas vitalisque virtus.

V.

U T eadem Chyli succique nutritii fabrica, sic hujus utriusque functionis iudex quoque morbi sunt. Duobus potissimum oppositis vitiis laborare solent organa chylica. Tensione, robore, actione nimis forti, aut laxitate, imbecillitate, inertia peccant. Indè duo principes atque contrarii sequuntur effectus. Ex primo vitio motus calorque nimius, quibus ea omnia quæ jam dicta sunt producuntur, sed majora. Hinc trituratione validior, fermentatioque provectior, quam fert natura liquorum nostrorum, chyli ad acrimoniam putridam alkalinanique prona indoles. Ex altero, omnia minora, quam ut ad justam coctionem alimenta Chylusque perducantur. Hinc partes non rite subactæ, viscosam, pinguem, glutinosam, faciliè acrescentem sortiuntur naturam. Hi affectus noscuntur per varia signa, ructus acidus, nidorosos, foetidos, morsum ventriculi, sitim, prostratum appetitum, aliaque id genus his partibus propria. Hæc ad ventriculum intestina, Chylumque pertinent. At planè similibus morbis vascula, contentosque liquores affici certissima demonstrant argumenta. Quid enim, majori tono, elatere, virtute fibræ vasæque pollent? Jam morbi acuti, febriles, inflammatorii, phlegmone, abcessus, gangrena, putredo, sphacelus instant, quibus acrimonia de quâ modò, manifestatur. Debilitate, fegnitie, atoniâ eadem torpent partes? Brevi quæ in Chylo ab his causis, eadem in succo nutritiæ produci frequentissimæ evincunt obstructiones, tumores lymphatici, frigidi, scirrosi, læsa nutritio, cachexia, hydrops, morbi ferè omnes chronici. Quin, simili ratione utrobiquè præcavenda ea curandaque sunt incommoda. Sic prioribus his illisve inciderint organis, vita defidiosa, tranquillâ laboris experti, alimentis blandioribus, diluentibus, relaxantibus æquè feliciter occurritur. Altera, quamcumque etiam sedem habuerint, labore, exercitio, motu muscolari, cardiacis, leviter stimulantibus, tonicis pariter avertuntur. Ista tam singularis morborum & remedium analogia, quid aliud astruit, quam jam probatam ambarum functionum paritatem. Quæ eadem vigent ratione, eodem quoque modo labefactantur atque restituuntur.

Ergo Chylus & succus nutritius, simili perficiuntur mechanismo?

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius Bergier.

M. Carolus Franciscus Boutigny
des Preaux.

M. Petrus le Hoc, Consiliarius
Medicus Regis ordinarius in
ejus Castellato, & utriusque
Pharmacie Professor.

M. Jacobus Franciscus le Chat
de la Sourdière.

M. Petrus Lalouette.

M. Antonius Nicolaus Guenault.

M. Joannes Franciscus Ysez.

M. Silvester Antonius le Moine,
Eques.

M. Paulus Jacobus Malouin,
è Regiâ scientiarum Academiâ.

Proponebat Parisiis, LUDOVICUS PATHIOT, Tricassinus,
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,

A. R. S. H. 1743. à sextâ ad meridiem,

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.